

15 97

HYPOMNEMATA POLITICA,
De
ARCANIS PRINCIPUM,
PRÆSIDE
M. CASPARE ALEXANDRI,
Publice disputabit
ANTONIUS BERTRAM SELLEN
in Auditorio minori
ad d. XXII Octobr.

WITTEBERGÆ
Excudebat JOHANNES RÖHNERUS Acad. Typogr.
Anno 1653.

97
H. M. Baldwin

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.



Handwritten signature or initials in dark ink, possibly reading "H. M. B. W. n".





HYPOMNEMATA POLITICA.

De

ARCANIS PRINCIPUM.

I.



Arcana Principum non tam causâ noscuntur quam eventu, nec sine periculo. C. Tacitus VI. Ann. c. VIII. n. VI. *Abditos Principis sensus & siquid occultius parat, exquirere illicitum, anceps; nec ideo asequare.* Buchnerus in Panegyric. *Altissima Principum mentes intra recessus arcanos rationes putant frequenter, quas curiositati scrutantium dum volunt subducere, sic solent involvere, ut ex presenti rerum, qua geruntur, facie nihil trahant omnino, & plane divertant.* Casiodorus Lib. VIII. Variar. Ep. X. *Arduum est meruisse Principis secretum, ubi si quid cognoscitur, prodi vel ab aliò formidatur.* Nec vanus ille Romanis Patribus metus, si intelligere viderentur. C. Tacitus. I. Ann. c. XI. n. VI

II. Arcanum Principum est, Regnam cum Rege non coronari. Baconus de Verulamio Histor. Reg. Regis Henrici Sept. *Cum tamen apud se secreto statuisset ad consummationem matrimonii non procedere, donec solennis sua inauguratio, & comitia Parliamentaria celebrata essent. Quorum primum eò spectabat, ne coronatio sui ipsius & Reginae conjunctim (ut par erat) facta, speciem aliquam participationis in jure regni praeferret: Alterum, ne in*
A 2 *jure*

jure coronæ stabiliendo in persona sua (id quod comitiorum auctoritate se consecuturum confidebat) vota ordinum ulla tenus in Elizabetham reflecterent. Credo, Henricum Tiberium cogitasse, de quo C. Tacitus l. Ann. c. VII. n. VII. Dabat & fame, ut vocatus electusq; potius à Republica videretur, quam per uxorium ambitum & senili adoptione irrepisse.

III. Auspicantes imperium proximis etiam inferioribus recte honores impertiuntur, & felicitatis famam breviter spargunt arcano consilio. Ammianus Marcellinus Lib. XXV. Hinc Procopius alter notarius, & Memoridus militaris tribunus ad tractus Illyricos mittuntur & Galliarum, nunciaturi Juliani mortem, & Jovianum post ejus obitum ad culmen augustum evectum. Quibus mandaverat Princeps, ut Lucillianum socerum suum, post depositum militie munus digressum ad ocium, morantemq; eo tempore apud Sirmium, oblatis magisterii equitum & peditum codicillis, quos iisdem tradiderat, properare Mediolanum urgerent, res firmaturum ancipites: & quod magis metuebatur, si casus quidam novi exsurgerent, opponendum. Quibus secretiores addiderat literas, Lucillianum itidem monens, ut quosdam lectos exploratae industriae fideiq; duceret secum, adminiculis eorum usus pro incidentium captu negociorum. Prudentiq; consilio Malarichum ex familiaribus negociis agentem etiam tum in Italia missis insignibus Iovino jussit succedere armorum magistro per Gallias, gemina utilitate prospiculata; ut & dux meriti celsioris ideoq; suspectus abiret è medio, & homo inferioris spei ad sublimiora profectus autoris sui nutantem adhuc statum studio fundaret ingenti. Jussus est autem ad implenda hæc perrecturis extollere seriem gestorum in melius, & rumores quaqua irent breves diffunder

dere, concinentes procinctum Parthicum exitu prospero terminatum.

VI. Nihil agere publicarum rerum Principes inconsultis Sacerdotibus, arcanum est. Campanella de Monarchia Hispanica c. V. Nam omnis religio tam vera quam falsa vincit, ubi semel insedit hominum animos: à quibus solis arma & lingua, unica regnorum instrumenta dependent. Ecce Julius Caesar, cum forte consules crearentur, ubi vidit Pontificem venientem & dicentem, vitio creati sunt, statim illos abdicavit; & praelium initurus, cum augur forte dixisset, Pullos nolle esse, destitit, atq; ex illorum ingenio fecit Et c. VI. Hoc verò non sufficit, ut Ecclesiasticos semper à nostris partibus habeamus; verum elaborandum erit tandem, ut habeamus Papam Hispanum; aut potius è domo Austriacâ: cum constet, quod quotiescunq; oraculum pro illa dat, illam simul elevat; & contra deprimit, quotiescunq; contra illam pronunciat. Sed hæc ille Hispano. Nequam vero Principes hoc ipso arcano & scelera redimunt. Ni etas Choniates in Annalibus de Andronici Comneni imperio: A Patriarcha suo & concilio aliam gratiam petiit Andronicus, ut jurejurando, quod imperatori Manuelli & infelici ejus filio dederat solvatur, ac ceteri unâ quos Sacramenti ceperat oblivio. Illi vero quasi absq; ullo discrimine & vinciendi & solvendi quemlibet potestatem divinitus accepissent, statim literis publicè affixis, impunitatem scelerum perfidis concesserunt. Andronicus vero Pontificibus illis jurisjurandi Solutoribus quam egregiam gratiam retulit. Ea fuit, ut quaedam levicula eorum postulata fierent: maximus vero is honos fuit, ut subselliis ad solium imperatoris collocatis, ei assiderent: qui cum paucos dies durasset, umbra potius honoris, quam verus honos, materiam eos ridendi præbuit, pristina consuetudine revocata.

V. Collegam imperii sumere principes, arcanum est. Qualis Tiberium Augustus. Equidem Zonaras de-
lusus hoc arcano Tom. II. Annal. existimavit, quod re-
rum gerendarum socio carere non potuerit, ideo vel invitum
Augustum adscivisse Tiberium: sed rectius id animadvertit
C. Tacitus III. Ann. c. LVI. n. III. M. deinde Agrippam
socium ejus potestatis, quo defuncto, Tiberium Neronem de-
legit, ne successor in incerto foret; sic cohiberi pravas aliorum
spes rebatur: simul modestia Neronis & sua magnitudini
fidebat.

VI. In Turbis caput rerum, regiam urbem, non
omittere felix Principum arcanum est. C. Tacitus III.
Ann. XLVII. n. II. Simul causas, cur non ipse Tiberius, non
Drusus profecti ad bellum forent, adjunxit, magnitudinem
imperii extollens; neq; decorum Principibus, si una altera ve
civitas turbet, omisa urbe, unde in omnia regimen. Ita Tar-
quinius, dum ad Ardeam bello intentus abest, relicta
urbe, regno excidit. Liv. Lib. I. c. LX. Förstnerus in Not. Po-
lit ad C. Tacit. Certe sedis imperatoriae in orientem à Con-
stantino facta translatio, versus occidentem provincias ho-
stibus nominis Romani prostituit. Illa enim quasi pro dereli-
ctis habitæ barbaris animum fecerunt, ut velut vacuum pos-
sessionem apprehendentes obvia quæq; invaderent. Aretinus.
I. Hist. Flor.

VII. Muros nec reficere sine principis vel præsidis
autoritate, nec aliquid eis conjungere aut superponere li-
cere, arcano fit consilio. Ulpianus L. ix. D. de Res.
Divis. itaq; cum Marcus Syriae Præses Claudio Cæsari in-
dicasset, Agrippam murum ingentis magnitudinis circa
Hierosolymam inchoasse, Claudius novarum rerum ac di-
scordiae suspicionem captans Agrippæ novum opus nunciavit:

quo

quo factō statim ab opere destitit Agrippa: Josephus Lib. XIX. Antiq. Jud. c. VI. Clapmarius Lib. III. c. VII. de Arcan. Dominat. Quin etiam hodiē multa civitates, teste Gailio privilegium ab Impp. obtinuerunt, ne vicinis liceat intra unum vel duo milliaria prope civitatem castrum edificare, quod hac res vicinorum potentiam ac robur auget, ipsis vero periculum ac metum infert. Ita in Pacificatione Osna-brugensi, civitati Magdeburgensi privilegium muniendi & fortificandi ab imperatore Ferdinando. II. concessum renovatur, cum inserta clausula, quod in præjudicium civitatis reedificari non debeant suburbia Artic. XI.

VIII. Non satis accuratē arcana sua habent Principes, qui non intra terminos coërcent imperia. Objicit hoc ipse sibi Campanella de Monarch. Hispanic. c. XIX. Rex Hispaniarum uno eodemq; tempore bellum cum pluribus gerit nec unquam omnes vires suas in aperto campo conjunctas habet, quo se ipsum suo jugulat gladio. Proficiscitur militatum in remotissimas regiones; cum tamen circumcirca in vicinia sua hostes habeat Anglos Gallos Belgas & forsā ipsos etiam Italos. Unde videtur sibi ipsi adversas & parum utiles vias ad propagandum imperium suum inire. Quod & si præsumat refellere; vereor tamen ut præstet omnino. adeo hætenus Hispaniarum Rex, non solum universalis illius Monarchiæ nondum potitus est: sed & plurimas etiam, propter dissita locorum spacia, quibus adesse nequivit, provincias amisit. Quanto rectius Augustus inter cætera libello perscripta ac præcepta Tiberio, addiderat consilium coercendi intra terminos imperii C. Tacitus. I. Ann. c. XI. n. VII. Cujus rei rationem recitat Dion Cassius Lib. LVI. quippe cum difficulter imperium tantum servari possit, periculum fore, ne plura appetendo, parta quoq; amitterent.

IX. Ratio



IX. Rationarium imperii propria manu conscribere Principes, arcanum sapit. Tale illud Augusti fuit, quod Senatui tradidit redditurus Remp. Suetonius in vita eius c. XXVIII. Idem deinceps post mortem ejus proferri ac recitari juslit Tiberius; *Atq; in eo opes publica continebantur quantum civium sociorumq; in armis: quot classes regna, provincia, tributa, aut vectigalia, & necessitates ac largitiones quae cuncta sua manu perscripserat C. Tacitus. i. Ann. XI. n. VII.* Duplex hujus curae monumentum Constantinus Porphyrogenneta, alterum de Thematibus imperii Orientalis, alterum de Administrando imperio ad Romanum filium reliquit. Non malè quoq; huc aliquis retulerit Librum Beneficiorum, qualis Alexandro Severo erat. De quo Ælius Lampridius in vita ejus. *Cogitabat secum & descriptum habebat, cui quid prestitisset. Inquæ verba ita commentatus legitur Casaubonus: Rationarium imperii ab Augusto sapientissimo & maximo Principum fuerat institutum: cuius pars fuit is, qui dicebatur Liber Beneficiorum. In eo descriptum erat accuratissima diligentia, qui agri quibus colonis essent divisi, & quae subseciva agrorum superessent quae dividi aliis possent. Hygenus de Limitibus constituendis: Libros aris & typum totius pertica linteis descriptum, secundum suas terminationes adscriptis affinibus tabulario Caesaris inferemus: & si quae beneficio concessa aut assignata Colonia fuerint, sive in proximo sive inter alias civitates in LIBRO BENEFICIORUM adscribemus. Addit Sed de agris solum Hygenus loquitur: Alexander verò, ut indicat Lampridius, non agros tantum, verum & alia quae largiri Principes solent, habuit descripta.* Equidem id certò constat, divi Augusti Rationario partem fecisse Beneficiorum curam: ita enim ipse C. Tacitus¹. Ann. c. XI. n. VII.

& ne-

*Et necessitates Et largitiones, luculentissimus testis accen-
set: Sed eundem tenuisse locum hunc Alexandri Li-
brum, quod tanti Viri pace dixerim, non apparet. Quin
potius adducor cum aliis, ut credam, singularem pror-
sus acseparatum à Rationario, hunc Beneficiorum Li-
brum habuisse Alexandrum: Eò maximè, quod non,
imperii indegloriæ, sed privatæ laudi beneficentiæ suæ
unicè consuleret. Quare subjicit Lampridius: *Et si quos
sciret vel nihil petisse vel non multum, unde sumtus suos auge-
rent, vocabat eos Et dicebat: Quid est, cur nihil petis? an
me tibi vis fieri debitorem? pete ne privatus de me queraris.
Dabat autem hæc in beneficiis, quæ famam ejus non lade-
rent.**

X. Non pati Principes quenquam exercere muni-
ficentiam regiam, arcanum Principum est. Nicephorus
Lib. VI. Histor. Rom. de Constantino Porphyrogenneta.
*Tertia verò criminationis caussa, non omnis expers est ma-
cula. Sive enim ex imperitia tales largitiones fecit, quæ ma-
xima ex parte Imperatoribus conveniunt, invitus ille quidem
non parum tamen deliquit. Sin Et ipse noverat, ob tantam
munificentiam se non extra suspicionem fore apud fratrem,
Et tamèn secure tempus conterebar, maxima culpa pars in eo
hærebit. Nam ut nihil aliud, illud saltem reputare debebat
quorsum eadem Veterum studia recidissent. Nam Et Cyrus,
ille Darii, Et Parysatidis filius, cum majorem quam pro Satrapia
sua fastum præ se ferebat, in suspicionem apud Artaxerxem
fratrem incidit; unde nihil præter infelicem exitum est conse-
cutus. Antonius item, qui maximam orbis terrarum par-
tem cum Augusto partitus erat cum spretis pactis Et conven-
tis, plus sibi quam par erat, arrogasset, unà cum Principatu
etiam vitam amisit. Ita Et hic Porphyrogenneta etsi nullas in-
sidias,*

fidis, nulla arma contra fratrem paravit, tamen ista prioribus suspicionibus non parvum pondus addiderunt, & imperatoris aures calumniis, immodicam benignitatem consequi solitis, patefecerunt.

XI. Sanctius & militare Principum ararium arcano consilio constituitur. Dion. Cassius Libr. LV. M. Emilio deinde Lepido. L. Arruntio Consulibus, cum nullus reditus excogitari posset, quem omnes probarent, omnesque eum queri indignarentur, Augustus pro se & Tiberio pecuniam in ararium, cui militaris nomen indidit, intulit; ejusque administrationem pratoribus tribus sorte lectis ad triennium mandavit, qui binis licitoribus, ac ministris aliis quos conveniebat, uterentur. Itaque illata pecunia ab ipso, promissumque id se quotannis facturum: à Regibus etiam & populis promissa sunt quedam, nam à privatis, quamvis multi se libenter collaturos eò pecuniam dicerent, nihil omnino accepit. Verum cum hac pecunia sumptuum magnitudinem minimam parte attingeret. cetero perenni copia esset opus, Senatoribus negotium dedit, ut pro se quisque aliquam rationem inveniret, eamque in libello conscriptam ipsi traderet expendendam: Id non eò fiebat, quod ipse nihil reperiret, sed ut eis persuaderet, quo hanc maxime viam, quam ipse probabat, sequendam ducerent. Bodinus Lib. VI. de Rep. n. DC LXXV. Turcarum quoque principes sanctius ararium habent, præter id quod ex vectigalibus ac tributis ordinariis conflatur, ut sit aliquod extremis temporibus imperii munimentum. Ejus locupletandi rationem hanc describit Scipio Amiratus Libr. I. Dissertation. Polit. in Corn. Tacit. Discurs. XI. Expeditisimum foret consilium, si arario huic militari omnes civium multas, item subditorum ac Vasallorum bona, qua fisco debentur, item que ad principem sive delicti sive lineæ & agnationis defectus causa,

caussa, sive quovis legitimo pacto devolvuntur, addiceret.
Sed ea quæ sequuntur probare non possum: *Quod si quis adderet, inquit, quoslibet redditus ad consuetos & ad insuetos, sive ad ordinarios & ad extraordinarios redigi; neque Principes extraordinariorum reddituum usu privandos esse, huic nihil responderem, nisi quod incumbant diligenter pergantq; strenuam operam navare, ut quamplurimam quoquo modo per fas & nefas congregent pecuniam, qua hosti à quo aliquando debellabuntur, chariores evadant.* Poterat utique responderi aliud; Scilicet non interdicendum sed persuadendum principibus, ut ipsi sibi hanc dicant legem, ne quid attingant ex usu extraordinariorum reddituum, nisi extrema urgeat necessitas. Tum verò per fas & nefas instaurare ærarium, ea demum indigna Christiano homine impietas est: Quæ quo plus intulerit, eo plus ipsa per se exhaurit: adductura hostem ultrò qui debellet & rapiat gazam, quam impia manus collegit, ipsa sibi supplicium.

XII. Procerum conjugia suffragio Principis indigere, nec constare aliter, nisi illius accedat auctoritas, arcanum jus est. Zevcotius observat. Polit. Sueton. c. i. *Ideo multis in locis Reges & Principes conjugiorum quæ inter Proceres celebrantur, non sine summa ratione sunt arbitri, ut & suæ & Patriæ, quam defendendam susceperunt, securitati consulant.* De Gallia certè experimentis annotatum, nulla illic Procerum connubia fieri, nisi quæ aut ipse Rex in animo habuerit, ac ostenderit sermonibus, aut deliberata ante confirmet. Incredibile enim dictu est, quantum per matrimonia magnates audeant. Sic *Piso præter paternos Spiritus uxoris quoq; Plancinæ nobilitate & opibus accendebatur; vix Tiberio concedere; liberos ejus ut*

multum infra despectare. C. Tacitus. II. Ann. c. XLIII. n. VI. Itaque Gallo invisus Tiberius, tanquam ducta in matrimonium Vipsania M. Agrippae filia, quae quondam Tiberii uxor fuerat, plusquam civilia agitare. C. Tacitus I. Ann. c. XII. n. VI. idem Sejano Liviam petenti rescripsit apud C. Tacitum IV. Ann. c. XL. n. V. Falleris Sejane, si te mansurum in eodem ordine putas, & Liviam quae C. Caesari, mox Druso nupta fuerit, ea mente acturam, ut cum equite Romano senescat. Ego ut sinam, credisne passuros, qui fratrem ejus majoresque nostros in summis imperiis videre? Vis Tu quidem istum intra locum sistere: sed illi magistratus & primores, qui te invito perumpunt omnibusque de rebus consulunt, excessisse jam pridem equestre fastigium, longeque anteisse patris mei amicitias non occulti ferunt.

XIII. Nec audire nec respondere sine scripto arcantum Principum est. C. Tacitus IV. Ann. c. XXXIX. n. I. At Sejanus nimia fortuna socors & muliebri insuper cupidine incensus promissum matrimonium flagitante Livia, componit ad Caesarem Codicillos, moris quippe tum erat, quanquam praesentem scripto adire. Suetonius in Octavio c. LXXXIV. Nam deinceps neque in Senatu neque apud populum neque apud milites locutus est unquam, nisi meditata & composita oratione; quamvis non deficeret ad subita extemporali facultate. Sermones quoque cum singulis, atque etiam cum Livia sua graviores non nisi in scriptis & à libello habebat; ne plus minusve loqueretur ex tempore. Quae in privatis morositas audit. Xiphilinus in Nerone; Pallantem interfecit quod magnas opes peperisset, ac ita difficilis & morosus erat ut neque cum servis neque cum liberis sermones conferret; sed iis omnia quae vellet mandaret ut in libellis scribere consueverat.

XIV. Ma-

XIV. Maledicta refellere potius, quam autores perquirere aut libros cremare, arcanum Principum est. C. Tacitus IV. Ann. c. xxxiv. n. ix. *namq[ue] spreta exolescunt; si i[n]vascare agnita videntur.* Suetonius in octavio c. li. *Ætati tua, mi Tiberi, noli in hac re indulgere, & nimium indignari quenquam esse, qui de me male loquatur. Satis est enim si hoc habemus, ne quis nobis male facere possit, & cap. lv. Etiam sparsos de se in curia famosos libellos nec expavit & magna cura redarguit. Ac ne requisitis quidem auctoribus, id modo censuit cognoscendum posthac de iis qui libellos aut carmina ad infamiam cuiuspiam sub alieno nomine edunt.* In quam rem extat pulcherrima Imperatorum Theodosii, Arcadii & Honorii sententia. C. Si quis imperatori maledixerit. Si quis modestia nescius & pudoris ignarus improbo petulantiq[ue] maledicto nomina nostra crediderit laceffenda, ac temulentia turbulentus obtrektor temporum nostrorum fuerit; eum pena nolumus subjugari, neq[ue] durum aliquid nec asperum volumus sustinere. Quoniam si id ex levitate processerit, contemnendum est: si ex insania, miseratione dignissimum: si ab injuria remittendum. C. Tacitus. IV. Annal. cap. xxxv. n. v. *Quo magis socordiam eorum irridere libet, qui presentipotentia credunt exstingui posse etiam sequentis ævi memoriam.* Nam contra crematis libris ac punitis ingenii gliscit auctoritas, neq[ue] aliud externi reges, aut qui eadem sevitia usi sunt, nisi de decus sibi atque illis gloriam peperere.

XV. Novis populis, ex suis imponere magistratûs, arcanum principum est. C. Nepos in Miltiade. *Rex Darius pontis custodes reliquit Principes, quos secum ex Ionia & Æolide duxerat, quibus singulis ipsarum urbium perpetua dederat imperia.* Sic enim putabat facillimè se Græca lin-

qua loquentes, qui Asiam incolerent, sub sua retenturum potestate si amicis suis oppida tuenda tradidisset, quibus se oppresso nulla spes salutis relinqueretur. Sed cautius egerint principes, si & his ex propriis hominibus miscuerint aliquos, ne sit Miltiades aliquis, qui defectionem meditatur, & patriæ inde liberandæ occasionem arripiat. Quanquam enim plurimi sequantur Istiæi sententiam dicentis: non idem ipsis, qui Summas imperii tenerent expedire & multitudini, quod Darii regno ipsorum niteretur dominatio, quo extincto ipsos potestate expulsos civibus suis poenas duros; restamen ne sic quidem periculo caret: ne qui sibi ipsis majestatem asserant, ac sumant imperium à fortuna datum ereptum alteri, quod antea precarium habuerant. Adeo sibi quisque mavult quam alteri, & inter bonos quoque jam pridem Euripidæa illa Cæsari usurpata obtinuit sententia: *Si violandum est jus regnandi gratia violandum est: aliis rebus pietatem colas.* Cicero Lib. III. de Officiis.



Ad Eximium & Politissimum

DN. RESPONDENTEM,

Optimi parentis filium, Amicum meum.

Nobile Magdurgum vastatum est undique ferro,

Virginis & facies commaculata fuit.

Diruta templa jacent; Schola quælibet alget; e-
uritem

Terret adhuc tristis mortis imago virum.

Sed quoq; parva micæ sortis scintilla prioris,

Dum struit artificis sedula dextra domum.

Dum juvenes discunt, Mûsis suadentibus, artes,

Et judex leges sacraq; jura movet.

Hos inter juvenes, *Sellen* doctissime, splendes,

Et sequeris clari maxima jussa patris.

Hinc cathedræ scandis *VV*itebergæ pulpita no-
stræ,

Quæ sit & arcani Principis aula, doces.

Det Summus faciles aditus facilesq; recessus;

Ut fias patriæ magna columna tuæ.

Michael *VV*endelerus,

D. & P. P.

DUM, SELLI AMICE, Principum
Arcana doctus eruis,
Sub erudito Præsede
Isto ingeni miraculo,
Suavi Alexandro meo
Acrique genio singula
Simul tueri sustines;
Mentis bono præfagio
Ego auguror, fore, ut fies,
Cui Principes committere
Arcana quondam gaudeant,
Nec fallet omen. Nam Scholis
Qui tanta præludit, rei
Quid publicæ non spondeat?

*Boni ominis caussa
Commensali amico*

*Bogislaus à Somnis /
Eq. Pom.*



94 A 7578

ULB Halle
002 715 147

3





sb.

1017

Ok. 1999







HYPOMNEMATA POLITICA;
De
ARCANIS PRINCIPUM,
PRÆSIDE
M. CASPARE ALEXANDRI,
Publice disputabit
ANTONIUS BERTRAM SELLEN
in Auditorio minori
ad d. XXII Octobr.

WITTEBERGÆ
Excudebat JOHANNES RÖHNERUS Acad. Typogr.
Anno 1653.

97
H. M. Baldwin

